



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

560 GREGORIVS CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.  
P. X. PHILIPPVS III. R. FRANC.

creto statuimus, vt si quando fuerit electio in aliqua ecclesia celebrata, electores electionem ipsam quam citius commode poterunt electo presentare, ac petere consensum ipsius, procurent: electus vero illum adhibere infra mensem a tempore presentationis huiusmodi teneatur. Quem si electus ipsi praestare ultra distulerit, iure, si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, extunc se noverit eo ipso priuatum: nisi forsitan ea sit electae personae conditio, vt electioni de se celebratae absque superioris sui licentia ex prohibitione, seu quavis prouisione sedis apostolicæ, consentire non possit. Quo casu, idem electus, seu electores ipsius, consentiendi licentiam ab eius superiore cum ea celeritate, quam superioris ipsius praesentia vel absentia permiserit, petere studeant, & habere. Alioquin, si lapso tempore pro eiusdem superioris praesentia, vel absentia, vt premititur moderando huiusmodi licentiam, eos nequaquam obtainere contingat, electores extunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Ceterum quiuis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratae praestitum confirmationem electionis ipsius petere non omittat. Quod si iusto impedimento cessante infra huiusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur.

V I.

Idem in eodem. Perpetuae sanctionis oraculo declaramus, quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio

præ-

GREGORIVS LVGDVNENSE II. RYDOLPHVS I. IMP.  
P. X. PHILIPPVS III. R. FRANC. 561

ANNO CHRISTI  
1274 præstitum , nisi adeo in eo perstiterint , quod ex votis eorum communis electio subsequatur , ne quaquam eligendi potestate priuentur , licet pro eo quod indignum nominando scienter contra conscientias suas agunt , & diuinam vindictam , & apostolicæ vltionis metum , quem qualitas facti suaferit , possint non immerito formidare .

VII.

Idem in eodem. Nulli licere decernimus , postquam in scrutinio nominauerit aliquem , & electio fuerit subsecuta , vel postquam præstiterit electio ni de ipso ab aliis celebratæ consensum , illum super electione ipsa , nisi ex causis postea emergentibus , impugnare , vel nisi ei morum ipsius antea cœlata de nouo pandatur improbitas , seu alicuius alterius latentis vitii , vel defectus , quæ verisimiliter ignorare potuerit , veritas reueletur. De huiusmodi autem ignorantia fidem proprio faciat iuramento.

VIII.

Idem in eodem. Si quando contigerit , duabus electionibus celebratis , partem alteram eligen- tium duplo maiorem numero inueniri , contra elec- tores , qui partem reliquam sic excedunt ad exten- nuationem zeli , meriti , vel auctoritatis ipsorum , re- liquis , vel electo ab eis aliquid opponendi , omnem præsenti decreto interdicimus facultatem . Si quid autem opponere voluerint , quod votum illius , cui opponitur , nullum redderet ipso iure , id eis non intelligimus interdictum .

IX.

Idem in eodem. Quamuis constitutio felicis  
*Concil. Tom. 28.*

Bbbb